Q. D. B. V.

JUS BELLI CIRCA FANA & SEPULCHRA,

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE SCHURTZFLEISCH,

Publice disqviret

JOHANNES CHRISTOPHORUS PREIBISIUS

Sorâ-Lus.

ad d. 24. Martii, hor. antemerid.



WITTENBERGÆ,

Literis WENDIANIS Excudente DANIELE Schmatz/

Acad. Typogr. A. cIↄ Iↄc LXXI.

I. N. J.

§. 1.

DIfferam de Belli Jure, qvatenus ad fana pertinet & sepulchra. Versaborq; in hoc negotio ita, ut summa solum illius capita attingam.

§. 2. Esset verò vel in antecessum de origine bellorum cum cura qvadàm atqve diligentia agendum, nisi jamdudum alii suscepissent hujus argumenti dignitatem. Suffecerit mihi, ostendisse, bello non refragari naturæ jus, nec præcipere tamen qvidqvam de eo. Sistitur intra concessionis fines: Præcepti nec vis, nec vestigium apparet. Est sane dictatum naturæ juris, insitum omnibus, & omnium sensu atq; confessione firmatum de suo cuiq; tribuendo. Si non tribuatur, suppetit tribunal rectæ rationis. In hoc judicatur de justo, in hoc tribuitur, qvod tribuendum est.

§. 3. Hæc via atq; decidendi ratio juri naturæ, qvatenus per se sumto, nota atq; animis ipsis inscripta. De cruentis certaminibus, nihil illi cognitum, nihil perspectum. Acqviescit hic, contentum, rationis judicio disceptasse. De reliqvis nil disponit, aut præcipit. Neq; id tamen officit juri, tantum abest, ut evertat jus ipsum. Satis hic & ad juris laudem, & ad justitiæ exemplum est, si non repugnet sanctum illud naturæ jus, imò si de eo, qvod agitur perperam, informatum, assentiatur qvoq; & suggerat vindicandi justi rationes. Esto qvis: Et esto fortè Classicus: Eripiat alii, qvod suum est: Delitescat sub

ſpecie juris. Oſtendatur in judicio rationali fucus, detrahatur larva: Decidatur lis pro merito atq; ex dignitate cauſæ. Sed elabi Claſſicus velit, qvæſito hinc indè prætextu elabendi. Interpelletur seriò, moneatur ſemel iterumq;, & id ſeriò qvidem atq; graviter, reddat, reſtituat erepta. Primo tergiverſetur, mox recuſet plane atqve detrectet. Satisfaciendum certè præcepto juris naturalis eſt de ſuo cuiq; tribuendo. Et nolit ille tribuere, nolit eſſe audiens dictato hujus juris. Referatur ad tribunal naturæ juris. Hoc ita informatum, concedet bellum, neq; rejiciet hanc viam repetendi ejus, qvod injuſte eſt ablatum. Nullum enim aliud remedium ſupereſt recuperandi ejus, qvod ereptum. Intelligitur ex eo facilè remedium hoc recuperandi extraordinarium eſſe, eoqve non prius adhibendum, qvam omnibus modis monitisq; ad pacem connixi fuerimus, nec aliud niſi hoc reſtaurandi noſtri juris inſtrumentum ſuppetat.

§. 4. Ceteroqvin arduum Imperii Civilis nomen, ac tanto excelſius, qvanto majus verſari circa ſacra, qvibus DEI honor continetur. Eſt ſane Princeps Numen qvoddam mortale, & DEI vice res terrenas juxta & divinas curat dirigitq;. Agat ergo, qvod DEUS vult, & qvod agendum interpretatus ipſe eſt.

§. 5. Atqve id adeo argumento eſt ſummam illam, qvam obtinent Principes, poteſtatem, non obtinere ab alio, qvam à DEO, eamq; nullo interjecto ab eodem, id eſt, cœleſti illo fonte derivari. Ganniat & garriat qvorundam temeritas: nil moramur. Exploſa jam olim Pontificii dominatus ſententia eſt. Utinam vero malum ſtatim intra ſua primordia extinctum fuiſſet. Noto hic Sec. IIX. & XI. in qvorum altero Gregorius III. Zacharias & Stephanus, altero Gregorius VII. Reges ſibi atq; Imperatores in tantum obnoxios eſſe voluerunt, ut aut exauctorarent,

rarent, aut interdicerent communione sacrorum. Qvo conf. Martin. Polon. Chron. A, 738. Ann. Pith. An. 752. Otto Frisingensis L.5.c.23. Gottfrid.Viterb.Chron.part.17. De Bonifacii IIX. conatu nil addo. Jamdiu notavit Thuanus Hist. lib. 114. An. 1595.

§. 6. Sed redeundum ad incepta, & videndum de eo, cui competat jus belli, & qvam latè idem pateat. Ac illud qvidem nemini vindicandum, nisi habenti summam potestatem, sive eam unus habeat, ut Reges, sive pauci, ut Optimates, sive omnes, ut Populus.

§. 7. Cæterum ista potestas vel est simpliciter summa vel summam imitatione qvadam repræsentat, eoq; analoga vocatur, & mentione territorii definitur. Hæc aut respicit Principes sigillatim, aut universè consideratos. Hoc pacto jus belli sine dubio habent universi, qvatenus universi: qvatenus singuli non habent. Si haberent, non esset Civile corpus, sed gentium inde societas redundaret. Habent tamen belli ad defensionem comparati jus, habent resistendi potestatem, cum violantur ipsorum jura, cum privilegia tolluntur.

§. 8. A jure belli pergimus ad jus dirigendi sacra, qvod publica Imperii Legum autoritate à territorii potestate dependet, idq; eo valet, ut rectè intelligatur, ex qvo fonte derivetur potestas circa mutanda, instaurandave sacra. Esto Ecclesiæ Patronus, habeat potestatem statuendi de plurimis rebus: Non tamen continuo audebit vindicare jus mutandi sacra, nedum abolendi. Causa ostenditur facile, si ostendatur indoles ac vis nativa potestatis in territorium competentis. Qva qvi gaudent (gaudent autem singuli ordines) jure disponendi circa sacra fraudari non possunt, nisi fortè pacto, aut lege disponendi illa libertas fuerit circumscripta. Sed hic Nobiles, qvi Imperatori & Imperio tantum ob-

noxii sunt, excipias merito. Asserunt enim sibi jus dirigendi sacra, confirmant publicæ tabulæ. Vindicant adeo sibi in hac parte, qvod Imperii Ordines. Et Ordinum tamen dignitate carent: An potestate, qva territorium comprehenditur, una careant, non perinde est liqvidum. Alii abrogant potestatē territorii jure competentem, alii concedunt. Nobis sufficiat, monuisse jus disponendi circa sacra iis saltē cōvenire privilegii jure, si vel maxime non conveniat habita territorii ratione. Verba sanctionis Augustæ manifesta sunt: *Libera & immediata Imperii Nobilitas, omniaq; & singula ejus membra, vigore pacis religiosæ, & præsentis conventionis in juribus religionem concernentibus, & beneficiis inde promanantibus idem jus habeant, qvod Electoribus, Principibus & Statibus competit.* Dabo formulam, & dabo simul jurisdictionis ipsorum argumentum. Nomen vulgo notum, & hic non omittendum. Die freye Adeliche Obrigkeit. Nomen dicam an auctoramentum qvoddam potestatis in ditiones competentis. Certè illo ipso continetur eorum dignitas, ac distingvitur.

§. 9. Latius diffundendum est, qvod auspicati sumus. Finitur limitibus suis regimen sacrorum. Hos non egreditur, neq; profertur ultra. Tribuitur Principi, ex causa Imperii Civilis. Sed an hoc copulari cum sacerdotio possit, digna stilo & cura sapientum qvæstio est. Libare aliqvid juvat. Cætera aliis relinqvemus. Esto Bruno: Præsulis munus gerat: Impertiatur ei Principis jura, qvi jus impertiendi habet. Præsul idem & Princeps erit. Regimen Civile atq; Ecclesiasticum ipse sustinebit. Sed Jure sustineat, an secus, valde est controversum. Ordiamur à naturæ jure. Hoc sicut in hac causa nil disponit, ita nil prohibet. Satis habet dictare, DEUM pietate, principem obseqvio colendum esse. De administratione utriusq; officii, sacri & Civilis nil præcipit, nil

de-

definit. Concedit ergo, qvantum in se est, neq; turpe interpretatur, eundem Imperio & sacerdotio fungi. Gentium consensu eo minus dubitare nos sinit, qvod culti barbariq; populi sacrorum Præfectos rebus Civilibus imposuissent. Recito Germanorum vetustissimos sacerdotes, Civili Officio perfunctos. Silentium, inqvit Tacitus, per sacerdotes, qvibus tum & coërcendi jus est, imperatur. Apud Romanos Pontifices non modo religionis præluxerunt exemplo, sed etiam cum Imperio fuerunt. Laudatus ille mos Ciceroni est, dum arbitratur, nil præclarius inventum atq; institutum esse, qvam qvod Pontifices iidem & religionibus & summæ Reipubl. præessent; Orat. pro domo sua ad Pontif. Nemo etiam ignorat, antiqvissimo Qviritium more solis Pontificibus Jus Civile perspectissimum fuisse. Præter Ciceronem conf. Valerius M. posthunc Barnabas Brissonius Select. Antiq. Lib. 2. c. 20. Neq; tantum Romanis hæc indita persvasio fuit, sed latius ivit illa consvetudo, & maximè imbuit Orientalium mentes. Refero in Exemplum Ægyptios, præterea Græcos, imprimis Athenienses: hinc Cappadoces, aliosqve, qvibus nil magis honestum, qvam Sacerdotium & regimen sociari. Sed instruamus hanc operam exemplo sanctæ gentis. Videbimus Judæos, unde vel primum auspicari oportuit, hunc servasse morem. Sæpe eosdem & tenuisse Rempubl. & administrasse sacra. Revertor ad Romanos, appello Augustum Romanorum Imperatorem. Is Pontificatum Imperio junxit, exemplo ad successores transmisso; Kirchmannus lib. 3. cap. 25. de Fun. Rom. Nota inscriptio, & veterum tabulis inserta. Cæsar Divi F. Imp. Pont. III. Vir. R. P. C. vid. Ad. Octo in Aug. Mittamus extera, ac ad domestica perveniamus. Fato qvodam Germanicarum rerum primus omnium Bruno, Heinrici Aucupis filius, Pontificis idem ac Ducis officium

ficium gessit. Coloniæ Archiepiscopus & Lotharingiæ Prorex fuit. Hujus rei testes gravissimi sunt Widechindus Corbejensis Annal. 1. Frodoardus in Chronico, Æmilius Veronensis Hist. Franc. lib. 3. Auctor Chronici Laurishemensis. His initiis stetit processitq; consvetudo ista ad nostrum usq; ævum. Contra qvam tempore Carolingorum receptum fuerat, qvo sacra & seculi negotia diversa plane ac suis disparata officiis fuerunt. Hinc seculo IX. Ansegisus produxit constitutionem Caroli M. & filii ejus Ludovici Pii, qva Episcopis dignitate sacra interdicitur, qvi res seculi curarent. Verba egregia sunt & digna, qvæ adscribantur. *Si qvis Episcopus Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus ad bellum processerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur in tantum, ut nec laicam communionem habeat.* Sed proximo statim seculo, ab illa constitutione discessum est. Sacerdotium cum regimine copulatum, eidem Antistitis Principisq; munus concessum. Nec multo post latè diffusum exemplum, & ad posteros usq; continuatum, ac tanto amplificatum magis, qvanto suum Roma extulerat caput. Sed jam diu ante Leo Imp. Nov. constit. 68. συνεῖδον, inqvit, ὡς τοὺς ἀνακειμένους πρὸς θείαν λειτουργίαν δεῖ τῶν ἔξωθεν καὶ περισπασμῶν ἀπηλλάχθαι. Idem provisum prohibitumqve accepimus à Concilio Ephesino. Addatur Codex Can. Eccles. univ. ex recens. Christoph. Justelli, nuper a G.T. Meiero editus: eoqve inprimis conf. celeb. Ziegler. in egregiis animadv. ad Lancellot. l. 1. tit. 12. Non attinet plura afferre, cum satis jam constet de gentium consensu.

§. 10. Accepimus, qvid liceat per jus innatum & fas populorum. Nunc transimus ad tramitem constituti juris, præsertim illius, qvod DEUM auctorem habet. Atq; hic duo ob oculos sunt ponenda: unum est potestas DEI, alterum libertas ejus. Illa res mortalium universas complectitur

plectitur & regit sustinetq;. Hac pro nutu disponit, figit leges & refigit, promulgat idem abrogatq; : Adeo familiare Sanctissimo Numini est, jam concedere, ut qvid fiat, jam prohibere, ne quid fiat. Quatenus id quod ita concedit prohibetq;, ex numero eorum est, quæ concedi prohiberivè per naturæ suæ indolem possunt, ac adeo subjacent imperio voluntatis, neq; vero sic repugnant, ut libere de iis possit constitui atq; disponi. Malignitas est, non seqvi arbitrium summi Legislatoris. Nos imitabimur prout voluit Deus. Voluit autem sæpe & concessit in fœdere antiquo, unum eundemq; diversis officiis fungi. In Novo prohibuit, qvominus quis utroq; munere, id est, sacro profanoq; fungatur. Desiit adeo Leviticum illud ævum. Imperium atq; sacerdotium res suâ naturâ dissociabiles, & nullo adeo consortio miscendæ. Hoc sanxit Christus, hoc Doctores gentium, Apostoli approbarunt. Ut maxime igitur à justitia naturali & gentium consensu non recedat illud sacri profaniq; officii copulandi institutum, recedit tamen à jure divino per tabulas novi fœderis constituto, recedit à pietate quam Christo Legislatori debemus. Dabo ergo non esse contraria officia, Ecclesiasticum & Civile. Dabo statum utrumq; arctissimæ societatis esse capacem. Nō tamē concedam, post latam à Christo legem, eundem summæ rerum & sacro officio præesse posse. Non qvod officia per naturam contraria sint, sed quia sic dixit, sic voluit, sic ordinavit Deus, qvi seqvendi obediendiq; necessitatem omnibus hominibus, jure divinæ potestatis, qva omnia complectitur, imponit. Atq; inde jam colligamus, hæc officia sic suis finibus discreta esse, ut conciliari in uno homine non possint, siq; unum eorum retineatur, alterum necessario relinqvendum fore. Sed confragosa hic via est. Videamus, ne in lubrico ambulemus. Premit à tergo Pontificis caligo. Sed tenebras has expedivit magni nominis Theologus Balth.

 Meisne-

Meisnerus Phil. Sobr. sect. 2. q. polit. 2. Saltem addimus, respectu Ecclesiæ duplicem assignari potestatem, unam exterius versari, & dirigendo occupari, alteram diffundi ad interiora ejus, ac competere notione interpretandi verbi sacratioris, ac dispensandorum adeo DEI mysteriorum. Priorem eamq; solam vindicamus Imperio Civili, naturæ ac gentium, & divinitus constituto jure. Legis naturæ sane præceptum est, obedire DEO, & propter DEum summæ potestati. Gentium qvoq; omnium sancta hactenus opinio fuit, regimen Majestatis contineri potestate suprema disponendi res omnes societatis Civilis ambitu comprehensas: Sacras, an profanas, nil interest.] A natura enim Imperii qvasi fonte manat jurisdictio in Rempubl. juxta atq; Ecclesiam. Ecclesiam dico, qvod hæc Reipubl. qvasi fulcimento suo innitatur. Divinæ leges sic claræ sunt atq; evidentes, ut vel solum Nutritii nomen summis Magistratibus à DEO ipsomet adscriptum, argumento sit hujus rei. Persignificanter id sanctissimo & Regiæ stirpis Vati expressum vocabulo est. Esai. XLIX. 23. Nec abludit interpretatio Thargumica. LXX. reddunt τροφοὶ, dictione perconvenienti.

§. 11. Sed hæc pleniùs disqvirendi argumentum præbeant iis, qvorum curam excitat cura sacrorum verborum.

§. 12. Aut fallit me animus, aut certè indicavi, qvo valeat susceptus hic labor. Sufficit meminisse, qvod diximus de Imperio circa Sacra. Nunc ex præscripto innati gentiumq; juris reddere juvat in præsens, qvousq; liceat exercere Imperium circa sacra, qvousq; etiam circa religiosa? Moliatur bellum Princeps ex justa causa. Oppugnet urbem in hostico occupetqve. Omnia solo æqvet securitatis finium gratia. Res plena disceptationis, plena dubitationis est, utrum eadem opera & certe eodem jure diruere ædes

sacras

sacras, evertere templa, demoliri fana, destruere delubra atq; simulacra liceat? An grassari in sepulchra, an dejicere monumenta sit concessum? Auspicabimur à sacris. Jus naturæ in hac causa nil disponit. Sinit disponere homines, homines, inquam, qvibus jure dominii data disponendi potestas est. Fortius loquar. Sit templum oppugnaturo hosti profuturum, contrà nociturum castro, qvod defendere velimus. Cessabit reverentia sacri ritus, dictabitq; æqvitas & ipsa justitia naturalis, perire illius loci venerationem. Nihil hic evidentius, qvam non refragari jus naturæ, & svadere insuper, si informetur, qvid exterius agatur, imò dictare tandem, si non aliter nostrum nobis conservari retineriq; possit. De mero gentium jure nil vetat dicere idem & facere. Non vacat mihi esse prolixo. Dicam qvod res est. Aut contemnitur religio alterius ut hostis, aut locus religioni consecratus extremam Reipubl. perniciem minatur: utroq; modo desinit esse sacrũ, quod hactenus fuit sacrum. Esto Carolus M. destruat fana Saxonum, ut Eresburgense quidem olim destruxit: diruat statuam Irmensulæ nomine dedicatam, ut revera diruit. Ann. Franc. 772. & Præses eò in Hist. Wittekind. M. §. 5. not. f. Nil religio impedire potuit, ut pro qva faciat veneratio religionis. At vero Carolus ut Christianus non habuit venerationẽ erga sacra non-Christianæ gentis, qualis per id tempus Saxonica nostra erat. Pro veneratione contemtus erat, ex contemtu ratio oriebatur, qvæ faceret pro jure belli in sacra, ut facere ipsi liceret, qvo desinerent esse sacra. Nempe efficere potest justus religionis contemtus, ut loca religioni consecrata cessent esse sacra, cessent habere sacrorum venerationem. Neq; id fraudi est Divino honori, qvippe qvem animis metimur, si justis pretiis metimur. Consecrantur templa, ut DEO serviant, non DEUS ipsis. Opera hominum sunt, qvibus non includitur sanctissimum Numen. Deseri

ergo juxtaq; destrui possunt, si aut nulla servandorum spes affulget, aut ex servatis certissimum impendet Reipubl. damnum. Præclare Zieglerus noster pronunciat, consecrationem usu populi, quasi fundamento suo fulciri. *Sicubi igitur populus loco sacro amplius uti non possit, cessare locum esse sacrum, idq; ex tacita voluntate & voto populi consecrantis: Not. ad Grot. L.3.c.5.§.2.* Nempe ibi Dei delitiæ sunt, ubi mens in pietatem conversa, animusq; in Deum revolutus est. Inutile accersere exempla. Ipsi memoria tenemus, qvid actum sit superiori bello. Cujus rei tanto majus apud nos momentum, si jam tum ante excussa veneratio est: Si extinctus divinior usus, si tecta, si parietes jam tum ad profanas operas compositi fuerint atq; comparati. Sit hostis: arma disponat in templo muniatq; insuper operibus, ac inde se & suos defendat. Credam licere alii in templum, quod hosti licuit. Licere, dico, jure, qvo hostis utitur adversus hostem. Fuerint olim Judæi. Propugnaverint urbem ex templo. Nil dubitaverit Titus aggredi templum & expugnare, expugnarumq; postea vertere ad profanos usus. Ac id qvidem omne salvo gentium, salvo belli jure. Neq; vero hic præterire debemus, venire usu posse, ut paria faciamus hosti, neq; indulgeamus, ut impune ferat, qvod ausus est in nostra templa. Fecerit damnum fanis, everterit simulachra. Non video cur nobis idem non possit licere, & ultionem justissima rependere ultione. Proferam Græcos. Dejecerint templa Persarum, perniciem delubris attulerint: Merito arbitrabuntur Persæ, idem facere sibi integrum esse. Tametsi nolim dissimulare Græcos ad reverentiam templorum primis temporibus sic excultos fuisse, ut etiam qvum maxime ferveret bellum, parcerent templis, abstinerentq; à sacris domiciliis manum. Nec absunt tamen, qvi id institutum magis à ratione utilitatis, qvam à veneratione profectum putent. Reddere hujus rei argumenta nõ

atti-

attinet. Satis qvippe manifestum, sæpe temperatum esse templis, non tam veneratione templorum, aut amore rerum divinarum, quam respectu utilitatis, & proferendæ securius Dominationis. Ut mirer, cur accusent Xerxen violati gentium juris. Scilicet vastabat sacras domos, ignem subjiciebat templis, nil deniq; relinqvebat intactum. Seu ferro, seu flammis sæviebat. Neq; id tantopere redarguendum fuerat. Qvæ Græcis sacra, ipsi profana erant. Dedignabatur venerari eorum templa, qvi more suæ gentis extra templa operabatur sacris & publice colebat Solem. Jam existimari potest, qvam sine causa qvidam obvertant hic sive religionis nomen, sive consecrationis ritum. Ducere nobis rivum liceat ex horum fontibus, qvi Grotio operantur. Illi duo æstimant, vel opinionem victoris, qva aut sustinetur consecratio, aut convellitur: vel scopum ejus, qvi curat ut templa diruantur. Si ad Numinis contemtum faciat, ferendus non est. Exhorrescit animus, cum Belsazaris recordor, cui oblectamentum erat, violare templi vasa, & instruere inde supellectilem sibi atq; adornare ad profanos usus. Absit à pio Principe impius iste animus. Nihil illi legem ponit, nisi ardua illa necessitas rerum & salus Reipubl. servandæ. Dejicere igitur templa eousq; licet, donec dejiciendi ratio à necessitate ac subsidiis tuendi regiminis repræsentatur. Horum si nihil adsit momentorum, adeo non valet in laudẽ iste conatus, ut qvoq; incurrat crimen violatæ pietatis. Sed explicatius loqvamur de templis. Fingam, Principem hic ex justa causa Principi Christiano, ibi Principi barbaro & non Christiano urbẽ ac templa eripere. Non uno modo pronunciandũ erit in hac causa. Nam aut Princeps Christianus eadem nobiscum sacra colit, aut diversa habet, eaqve multis erroribus ac superstitionibus fœdata. Non admittam, si Princeps Christianus, Principi Christiano & socio ejusdem religionis templum bello

ereptum seculo donet sine causa. Secus est, si necessitas ad id cogat, qvod sine necessitate non erat facturus. Si Princeps vero barbarus sit & Christiana religione non imbutus, Urbi templisq; inferre pedem & eripere dedicata bona, ac vertere ad Christianos usus, siverit jus belli. Sed contingat Christianum dissidere à Christiano, ac disjungi adeo utrumq; diversis sacris. Expediendum, qvid liceat victoriæ jure. Esto gens statuarum cultibus dedita & plurimis nævis erroribusq; infecta: Habeat templa superstitiosis abusibus polluta: Dicam jure belli eadem ratione in Civitatem & templa Imperium acqviri. Cæterum non unà asseram acqviri jus diruendi templa, si non ostendatur necessitas, qvæ ad diruendum impellat. Insolens enim & prorsus illiberale facinus, tunc templis non temperare, cum ratio non exhibetur, propter qvam temperari non debeat. Qvin adeo multo consultius fuerit, parcere fanis, & conniti interim atqve curare enixissime, ut separetur profanus usus & denuo excitetur verus Dei cultus, ineptiis humanis ac vanitati ne vestigium relinqvatur. Laudandi SAXONES nostri, qvi non abolere sacra collegia, sed restituere, ac reddere avito sacro & Scholis amplificandis materiam dare, ac per has proferre Ecclesiam & amplificare benignissime, novo renascentis nostræ felicitatis auspicio, sunt aggressi. Facessant itaqve A. Contzenius & P. Cursemius dicam scribere Divis Saxoniæ Electoribus, ut qvi non destruxerint templa, sed instauraverint, non aboleverint sacra, sed repurgaverint, non extinxerint reditus sacros, sed mutaverint meliori usu, reduxerintqve adeo antiqvum cultum. Sed male habet istos homines, incidisse in ea tempora, qvibus segnitia odio, impietas qvoqve execrationi esset. Dolent, fremunt, indignantur, amisisse tot amplissimos proventus, tot prædiorum lautissimos fructus, qvibus & pascere oculos, & curare ventrem

exqui-

exqvisitissime licebat. Scilicet frui bonis, nec mereri, fit voluptas. Dare DEO nomen, & frigere interim in DEI cultu, ac pietatem ostentare magis, qvam habere: omnia in speciem comparare & fictum splendorem, adulti mores. Jactari religio, non exerceri: sqvalere studia pietatis, jacere literarum cultus, Dei Magistratusq; honos eodem periculo involvi, cuncta ruere in exitium videbantur. Nil usqvam recti, nil sinceri. Omnia aut pravo de rebus divinis sensu, aut luxu otioqve fœdabantur. Omne demum momentum in rebus seculi ponebatur, & qvæstu impiæ nundinationis: nundinationis, dico, fortunarum omnium, ac divini humaniqve juris. Jam fatis suis admovebatur IGNAVUM GENUS. Extrudendum erat, quia non Deo, sed Pontifici, sed ventri, sed ignaviæ superstitionibusq; obstinate addictum. Hoc Deus a Principibus, hoc Principes a sacerdotibus exigebant: certe exigere debebant. Ingens inde ad Saxonas gloria, & æternum ad posteros rei bene gestæ monimentum. Injuria ergo est, non stilo, sed ferro vindicanda, insultare piissimo cineri, vellicare religiosissimorum Principum manes, & comminisci deniqve ineptissimas ad obtrectandum artes. Nobis ex eo lætandi argumentum, unde vafris istis hominibus hactenus criminandi fuit.

§. 13. Confecisse nos negotium hoc crederemus, si pauca qvædam recitassemus de scopo atqve instituto religiosorũ collegiorum. Principio ad Dei honorem, erudiendamqve juventutem, & propagandum adeo divinioris solertiæ exemplum instituta fuerunt. Hinc deflexa in abusus, a seqviori ævo traxerunt labem, optimis initiis ad pessimum eventum conversis. Confluere eo pietatis obtentu multi, & conferre fortunas suas, ac donare luculentissima prædia, atqve amplissimas possessiones. Suis aut nihil, aut non multum relinqvere. Toleranda liberalitas, nisi

inter-

intermixta superstitioni, nisi immodica, nisi deniqve cum præsentissimo reipublicæ exitio conjuncta fuisset. Atqvi vero summa iniqvitas, religionis prætextu atqve adeundæ hæreditatis cœlestis spe imponere necessitatem dandi, emungere cives, exhaurire Principes, avertere omnes ferme reditus ab ærario ad culinam ignavæ societatis. Prudentissime nuper Senatus Venetus edixit, abstinerent rebus seculi Patres, aut urbe exirent. Nil neqve ingeniosa mendicatione, neqve emptione posthac pararent monasteriis suis. Contenti essent partis, si retinere vellent, si secure frui. Festive qvoqve Altierius Purpuratus consilia & intempestivas preces non ita pridem elusit. Habent Romæ privilegia immensa. Nec tamen contenti his desiderabant plura. Pulcher impetrandi titulus, lautissima parata cœna est. Sed excusare se purpuratus, & causari occupationes, opportune se in palatio continere, Jamqve tacite exprobrare ingenium habendi nimis cupidum, & nunqvam desinens petendi. Adeo illud genus hominum non principibus modo, sed ipsi etiam Pontifici grave est qvandoqve & molestum. Qvid diceret Augustus noster, si dicere ex animo, si justam expedire severitatem vellet? ingemisco hic seculis antiqvis. Nil recusabant, nil tergiversabantur, cum dandũ esset Monachis. Fundi, prædia petentium præmia erant. Allego hic veteres Burgaradios, Hadaburgios, Freibrathios, Leidratios, Rohingios, Engilbertos, Vuldarnios, Helpfratios, Gunderos, Mattones, Suolistas, Walachfridos, & vel mille alios, quos legi in schedis monasteriorum, & Chronicis antiqvis, ex sola superstitionis causa ad largiendum inductos. Indignæ hæ monachis fraudes, & daturæ principibus occasionem sive retractandi concessa, sive separandi abusus. Exemplum inter exempla erit Chronicon Fuldense, plenum superstitiosarum talium donationum.

§.14. Hæc

§. 14. Hæc atq; talia veteris ævi jam expendenti succurrit, Pontificios ipsos sæpe ex hac causa ad justam iram fuisse accensos. Non repetam querelas Marsilii Patavini. Nec recensebo de Ordine Templariorum everso. Ubiq; indicia sunt & clarissima argumenta corruptissimæ societatis. Novissime Clemens IX. demonstravit exemplo, in communi Christianorum calamitate intercipi qvandoqve monasteriorum reditus posse, & servari ad principis reiq; publicæ salutem, reddendos, si princeps redierit ad seipsum, si collegerit vires & res in deterius lapsas refecerit. Sed videat Princeps, non recte adhiberi, notet gravissimos abusus: habet, ut insistat Divi nostri Mauritii exemplo, & vindicet Deo, convertatqve ad officia pia & causas honestas, detqve operam adeo, ut & honori suo consulat, & Deo relinqvat, qvæ sunt dedicata Deo: illud deniqve omni ratione atqve ope efficiat, ut verus incorruptusq; Dei cultus instauretur, & instauratus æternis legibus sanciatur, conserveturqve ad posteros.

§. 15. Nolumus esse longiores. Qvod sine, idē ratione caret. Una igitur opera & naturam imitabimur, & nitemur ad operis nostri metam. Saltem restat, ut tradamus de jure Sepulchrorū. Implet vero hic partes suas gentiū ille consensus, ac una mente animoq; securitatem impertitur sepultis. Jam olim Athenienses capite plectendos censuerunt, qvi grassarentur in sepulchra, qvi cadavera effoderent & reliquias defunctorum. Cambysi in æternum probrum cessit, qvod vel solum Amasis Ægypti Regis sepulchrum reclusisset. Et Xerxi apertus Beli tumulus æternam labem adspersit. Nec servavit honorem suæ gentis Philippus Macedo, cum non tam in homines, quam in cadavera conversus, ultra belli jus sæviret. Effusa in sepulchra crudelitas, idem hostes ac tumulos exitium involvit, furor deniq; o-

mnia & ipsas defunctorum imagines consumsit. Recitat historiam Livius, recitatam in compendium redegit Florus Hist. Rom. Epit. l. 2. c. 7. Non allegabo Imperatorum rescripta, non recensebo tabulas Augustas. Functus hoc officio Joh. Kirchmannus est, & nomina allegavit, & confirmavit sanctitatem hujus juris. Placet nobis ponderare momenta rerum, qvatenus morum ambitu comprehensa. Primo pietas sanxit legem miserationis erga mortuos, cum à mortuis nullum periculum sit, nullus impendeat metus. Neqve prudentia hic indignatur, ut quæ tunc pietati obicem ponat. Cum aut jactura metuitur securitatis, aut vestigia qvædam extant gliscentium periculorum, si pietati indulgeamus, si benignitatem exerceamus. Ira allegari non potest, exercenda enim adversus hostes est. Mortui autem jure hostium contineri amplius non possunt, qvia mortui, qvia vitæ, qvia vinculô Civili, qvia ipsi deniqve gentium societati erepti. Injuria est destruere id, à qvo vel horror ipse humanas mentes avertit. Res stupenda sane, nocere iis velle, qvibus noceri non potest. Vitam jamtum amiserunt. Existimationem crudelitas auferre non potest. Si terroris inde occasio qværatur, prætextus forte speciosus, facinus certe est inhumanum. Suppetunt alia incutiendi terroris instrumenta, eoq; non à sævitia, omnes humanitatis limites transeunte, repetẽda, ad instruendam hanc brutæ crudelitatis scenam. Non licet rem ordiri altius. Saltem admonemus alia ratione gentium illud jus pertinere ad sepeliendos, alia ad sepultos. His invidere qvietem impietatis: Illis concedere, ut terra atq; pulvere tegantur, receptum voluntate gentium, non inductum simplici necessitate est. Cujus in medio bello documentum. Vicerit Antonium Augustus, & vindicaverit mortale imperium. Moderationem servabit qvoqve post

illa-

illatam cladem, & petentibus spatium sepeliendi annuet merito. Erga cæsos jã cõsummata ultio est. Terra igitur obruantur, qvi terrã colere non possunt. Sed fingas, Augustũ negare sepulturã. Progredietur ad sævitiã usq;, & ultra bellantium fines. Instituet ultionem sublata ulciscendi causa. Nam à cæsis non habet, qvod metuat. Insidiari non possunt. Et jam abunde ultionis est. Ostendit rationem humana ratio, & suadet natura hanc benignitatem. Seqvuntur id gentes & probant, atqve sive humanitatem, sive mansuetudinem erga defunctos interpretantur. Constans hæc omnium temporum opinio, & ab ultimo ævo ad posteros propagata. Denuo argumentum in numerato: creditum semper inter cultiores est, mortem omnium calamitatum esse coronidem. Præterea nil tam rationi naturali contrarium; nil tam hominis erga hominem necessitudini adversum est, qvam addere miseriam afflictis & mortis calamitatem nova injuria augere. Terribile satis, concidi mucronibus, & tormentis verberari qvassariqve. Nil intelligi miserius, nil excogitari formidabilius potest. Sistendum ergo intra hos fines, nec cæsis insultandum, ne denuo vindictam de cæsis sumere videamur. His addo, quod Grotius, & præter hunc moderatiores ferme omnes monent, nil perinde conveniens esse homini, qvam curare hominũ sepulturam: contineriqve hoc officium officio rationi naturali maxime consentaneo. Præterea id exigi à dignitate humani corporis, & devorandi metu. Cum non vanus subeat timor, feris & avibus cessurum in prædam, quod terræ non redditur, qvod tumulis non infertur. Sed excipienda hic corpora facinorosorum, præsertim illorum, qvi postulantur perduellionis & convincuntur. His ne qvidem parcitur post mortem, sive ob exemplum, sive ob fœditatem delicti. Et Veneti jam olim existimarunt, recte

in

in mortuos statui, qvod dum viverent, merebantur. Siqvis depeculatus rempublicam esset, si indicia reliqvisset affectati dominatus, non temperant severitati, & cives deterrent exemplo. Indignus qvippe humanitate, qvi hominum violare jus, qvi Principis exuere obseqvium studuit. Fundere contra sangvinem in bello, & moliri exitium hosti, belli concessum jure est. Sopitur hostile odium, si cæsus est, adversus qvem justa materia odii fuit. Æqvissima hæc gentium populorumqve sententia est, eoqve ab ultima antiqvitate recepta apud omnes, & saniori judicio rationis innixa. Unum cupimus, qvod concedatur instituto. Vindicavimus antea securitatem sepulchris, vindicabimus inposterum. Fallunt vero qvi peræqve existimant de iis, qvæ sepulchris imponuntur. Cippi, statuæ, columnæ diversa lege censentur. Cedunt Principis, cedunt bellantium potestati. Neq; hic dubitantandi causa, nec difficilis ratio scrutantibus jus belli. Cujus reddere initia, & proseqvi singula momenta, nimis forte longum foret. Eligenda vero hic media inter caritatem & crudelitatem via. Nimis indulgere hosti, non expedit semper. Sævire qvoq; execrabile est. Cohiberi ergo, furor, retineri severitas, adhiberi prudentia debet. Qvod in hostem, idem in res fortunasq; hostis, & omnia ejus licet. Imagines, tumuli, statuæ, monumenta, & lapidum istæ cinerumq; moles ac sepulchrorum ornamenta universa revelli possunt atq; removeri. Lege quidem id facere prohibentur privati, & pœna violatoribus irrogatur. Princeps & supra privati sortem, & belli jure hic solutus lege est. Non repetam hic veteres cerimonias, qvibus & facere locum religiosum, & stabilire sepulchrorū jus voluerunt. Legi de hoc argumento scriptores prisci, legi post alios Polydorus Vergilius potest. Sufficit nobis omnium consensio gentium, qvæ & sanxit mortuis qvietem, & constanti usu approbavit, & adeo tandem apud posteros convaluit in legem.